







DA BOX

No. 356.





ASSERTIONES DE LEGE DEI, ET PROPRIA EVANGELII DEfinitione, propositæ in disputationem

à

NICOLAO HEMMINGIO, Anno 1561. mense Decembri.

 


HAFNIÆ
APVD CHRISTOPHORVM
BARTH.



I.

ETſi vox legis plura complectitur in ſcriptura: nos tamen hîc ſolam eam partem intelligi volumus, quam & à numero præceptorũ Decalogum, & à communi eius vſu Moralem legem appellamus.

2 Hæc diuina Lex, quæ & naturæ dicitur, vnà cum primis hominibus nata eſt, quæ illorum animis impreſſa, & Deum colendum, & homines diligendos eſſe dictat.

3 Eadem rectiſsima via eſt ad vitam. Nam ſi in eius obedientia perſtitiſſent primi parentes noſtri, æternum vixiſſent beati, quia iuſti. Verum, quia eam violarunt, ceſsit eis & poſteris ipſorum in mortem. Atq; ita mandatum (vt Paulus ait) quod inſtitutum erat ad vitam, facit ad mortem. Huc illud Domini ad Legiſperitum interrogantem quid faciat, vt vitam conſequatur æternam: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.

Lapſis

Lapſis primis parentibus, ita natura hominum deprauata eſt, vt obedientiam, quam requirit Lex, præſtare minimè valeat. Id quod non ſolum arguit vniuerſalis experientia, & ſcripturæ teſtimonia teſtantur: verum etiam noua via in cœlum monſtrata, qui eſt DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, euincit. Nam ſi ex lege eſt iuſtitia (ait Paulus) Chriſtus fruſtra mortuus. 4

Etſi autem hæc Lex præſtari non poteſt in hac vita: tamen nec fruſtra per Moſen repetita eſt, nec eius vſus eſt vulgaris. 5

Hæc igitur Lex rurſus commendata eſt populo Dei tribus de cauſis. Quarum PRIMA eſt, vt legis naturæ autoritas hac noua publicatione confirmaretur. SECVNDA, vt quæ per conſuetudinem peccandi, & ſceleratorum multitudinem latere cœperant, manifeſtarentur, ne quis ignorantiam prætenderet. TERTIA, vt 6

conſtaret certa Deum colendi ratio, ne pij Ethnicis & Philoſophicis ſuperſtitionibus à vero DEI cultu abducerentur.

7 Quod autem hæc lex exarata ſit in tabulis lapideis, ſymbolicum eſt. Nam Deus iſto Symbolo, non ſolum monet tantam noſtrorum cordium duritiem eſſe, vt non prius lex Dei in ea inſcribi poſsit, quàm Deus ea ſuo digito adaptauerit, legemq; ſuam ipſe ijs inſcripſerit: verum etiam ſignificari voluit nulla vetuſtate abolendam eſſe obedientiam, quæ in hac lege requiritur.

8 Huius legis vſus in hac vita triplex eſt: externus, internus, ſpiritualis.

9 Primum vſum ideo externum voco, quia ad externum hominem in hac vitæ cõſuetudine pertinet. Regit enim hæc lex externos mores, ſicuti aliæ leges Oeconomicę & Politicę, quales traduntur à Philoſophis & Iureconſultis.

10 Hac externa diſciplina nequaquã ſatisfit legi Dei, quæ ſpiritualis exiſtit:

ſed tantum vitantur pœnæ ciuiles. Magiſtratus enim non punit eos, qui hanc externam diſciplinam ſeruant: ſed honore potius obſeruatores ornat & præmijs, quia ad pacem publicam conſeruandam facit.

Hypocritæ tamen & Phariſæi in 11
hac legis ſuperficie hærent, & ſe ea iuſtos eſſe coram Deo falſò gloriantes, alios tanquam iniuſtos deſpiciunt & condemnant, quemadmodum Euangelica docet hiſtoria.

Iuxta hanc legis ſuperficiem Pau- 12
lus vixit irreprehenſibilis ante conuerſionem, dum in Phariſaiſmo excelluit ſupra omnes æquales ſuos. Quo ſanè tempore peccatum in eo mortuũ fuit, ſicuti ipſe de ſe teſtatur, inquiens: Sine lege peccatum mortuum eſt: ego autem viuebam aliquando ſine lege.

Donec enim homines tantum ex- 13
ternam faciem legis intuentur, vt Phariſæi & Hypocritæ, dicuntur eſſe ſine lege, ſcilicet reuelante & damnante

peccatum, & dum sunt sine lege peccatum in ipsis mortuum dicitur, quia ignoratur, non apparet, nec irritantur eius παθήματα per legem.

14 Secundum vsum legis ideo internum voco, quia conscientiam hominis ferit, ostendens, arguens & damnans peccatum, producens hominem ad tribunal Dei, eumq; maledictionis sententiæ subijciens.

15 De hoc interno legis vsu ante conuersionem ad Deum concionatur Apostolus Roma. 7. & in illustri exemplo generalem doctrinam proponit, ostendens in seipso vim legis reuelantis & damnantis peccatum.

16 Veniente (inquit) mandato, peccatum reuixit, & ego mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, ad mortem facere. Nam peccatum occasionem adeptum per mandatum decepit me, & per ipsum occidit.

17 Pulcherrimè in hoc paradigmate,

te legis vſus, de quo agimus, oſtenditur. Primum (inquit) veniente mandato peccatum reuixit. Hoc eſt, poſtquàm ſenſi mentem legis, vita mea ad normam legis examinata, me tranſgreſſorem legis agnoui, & depræhendi me reum coram tribunali Dei.

Nam & peccatum, quod antea la- 18
tebat vt mortuum, iam per legem agnitum in conſcientia mea reuixit, ac affectiones peccatorum, quæ ſunt per legem, vigebant magis in membris meis.

Hanc hypotheſin ſi ad theſin tra- 19
duxeris, hæc generalis doctrina emerget. Lex Dei, vbi homo cœperit ſuam vitam ad eius normam exigere, peccatum antea veluti mortuum deliteſcens excitat, ac in conſcientia hominis affectus peccatorum, qui antea latuerunt, vigent magis magiſq;.

Sequitur deindè: Ego autē mortuus 20
ſum, hoc eſt, me morte & damnatione

dignũ intellexi, propterea quòd Deo obedientiam perpetuam & perfectam, iuxta legis præſcriptum non præſtiterim.

21 Ex peccati ergo cognitione homines in agnitionem iræ Dei, & iuſtæ ſuæ damnationis ducuntur, vt velint nolint fateantur ſe mortis ſententiæ obnoxios eſſe.

22 Et inuentum eſt (inquit) mihi mandatũ, quod inſtitutum erat ad vitam, ad mortem facere. Hoc eſt, deprehendi mandatum, quod datum erat, vt qui ei obediret, vitam conſequeretur, cedere mihi in mortẽ, propterea quòd eius tranſgreſſor inuentus ſum. Vt enim obedientibus vita promittitur: ita præuaricatoribus mors eſt vt ſtipendium propoſita.

23 Hinc patet promiſsiones legales annexam habere conditionem impletæ legis: & comminationes pertinere ad eos, qui vel in minimo legem violauerint.

Huius

Huius rei ratio ſubiungitur his 24
verbis: Nam peccatum occaſione ſumpta decepit me per mandatum, ac per ipſum occidit me: q: d: quòd mortuus ſum legis miniſterio, id nequaquam vicio legis factum eſt, ſed peccati potius, & innatæ corruptionis culpa. Hoc peccatum per mandatum me decepit, & vt Latro quiſpiam, me è via abductum occidit & ſpoliauit.

Hinc concluditur generalis do- 25
ctrina, non eſſe culpam legis reuelantis peccatum, ſi ex agnitione peccati per legem euadimus deteriores: ſed eſſe vicium peccati habitantis in carne noſtra. Nam magis ęſtuat & inflammatur in nobis peccatum, quando accedit vox legis prohibentis & damnantis peccatum.

Hunc vſum legis internum Apo- 26
ſtolus Corinthijs ſcribens, indicat his verbis: Lex eſt miniſterium mortis. Hoc eſt, facit vt ex agnitione peccati intelligamus nos morte dignos.

27 Eſtq; diligenter conſiderandum cuius mortis ſit miniſterium lex, cum mors ſit multiplex. Eſt enim miniſterium mortis hominis, hoc eſt, damnationis hominis ob legis tranſgreſsionem: non eſt miniſterium mortis peccati, ſed potius vitæ peccati, iuxta Apoſtolum: veniente mandato peccatum reuixit, & ego mortuus ſum: etſi id fit vicio carnis, vt dictum eſt.

28 Hinc patet manifeſtè legem non prædicare veniam pœnitentibus: ſed pœnam tranſgreſſoribus. Pœnitentiæ enim prædicatio medicinam lethali adhibet vulneri, quod inflixit peccatum & lex reuelauit.

29 Quod autem quidam contendunt legis eſſe proprium arguere peccatum, rectiſsimè quidem id faciunt, vt qui vendicant legi ſuum proprium officium contra Antinomos, qui duo ademerunt legi Dei. Vnum, quòd non per legem ſit agnitio peccati. Alterum, quòd lex non ſit norma vitæ Chriſtianæ.

næ. Verum cum inde effici putant legis esse proprium prædicare pœnitentiam, grauissimè impingunt. Nam quod Euangelij est proprium, falsò legi attribuunt.

Ego quidem non dubito præcipuã 30
consolationem afflictorũ in hoc sitam esse, quòd certò sibi persuadeant, Euangelium esse vniuersalem prædicationẽ pœnitentiæ, & remissionis peccatorũ in nomine Iesu Christi, sicuti ipse Dominus Euangelij summam complexus est, Lucæ 24.

Duo enim facit Euangeliũ: mon- 31
strat remedium, & ostendit quibus remedium applicatur. Maledictionis sententię omnes homines obnoxij sunt: sed Euangeliũ monstrat Christum, qui legi satisfacit, & transferens in se nostram culpam, absoluit à reatu pœnitentes.

Quum autem quidam excipiunt, & 32
dicunt pœnitentiæ vocem propriè pro cõtritione accipi, falluntur. Nam conuersio Prophetis & μετάνοια Euange-

listis

liſtis ſunt ſynonima, niſi quòd μετά-
νοια notat conuerſionis formam, vide-
licet quòd non ſit quæuis de loco in
locum reuerſio: ſed mentis mutatio, in
qua regeneratur homo, & fit noua crea-
tura, ac ſimul fide iuſtitiam Chriſti ap-
prehendit.

33 Diligenter igitur diſcernendum
eſt inter accuſationem peccati, & præ-
dicationem pœnitentiæ, hoc eſt, μετα-
νοίας. Illa legis eſt, & præparat ad hanc:
Hęc Euangelij eſt in remiſsionem pec-
catorum.

34 Hanc noſtram aſſertionem de ac-
cuſatione peccati, & prędicatione pœ-
nitentiæ, niti Prophetica & Apoſtolica
autoritate manifeſtum eſt. Quare qui
eam conuellere conantur, Prophetis &
Apoſtolis bellum faciunt.

35 Ieremias cap. 14. vt iniquitatũ no-
ticiam ad compunctionem impellere
teſtatur, quæ iniquitatũ noticia aliun-
de eſſe non poteſt, quàm ex lege. Per
legem enim agnitio peccati: Ita cog-
ni-

nitionem fœderis, conuerſionis, hoc
eſt, pœnitentiæ fundamentũ eſſe affir-
mat. Si ergo fœdus, Euangelij eſt pro-
prium, cur non etiam prædicatio pœ-
nitentiæ, quæ in fœdere fundatur?

Hoc apertius adhuc Threnorũ 2. 36
oſtenditur, vbi Propheta in hunc mo-
dum loquitur: Prophetæ tui non ape-
riebant iniquitatem tuam, vt te ad pœ-
nitentiam prouocarent. Eſt ergo argu-
tio peccati non prædicatio pœniten-
tiæ: ſed ad eam tantum præparatio
quædam ſummè neceſſaria in hoc hu-
mani generis veterno.

Petrus Apoſtolus Actorum 2. ad 37
eundem modum diſcernit inter accu-
ſationem peccati, & prædicationem
pœnitentiæ, vbi etiã compunctionem à
pœnitentia ſeparat. PRIMVM enim
arguit peccatum per legem, obijciens
Iudæis ingratitudinem erga Deum, &
homicidium innocentis Chriſti, hoc
eſt, violationem primæ & ſecundæ ta-
bulæ. DEINDE cum ad hanc concio-
nem

nem corde compuncti Iudæi dicunt Apostolis: Quid faciemus viri fratres? Petrus respondit: μετανοεῖτε, hoc est, conuertimini, seu resipiscite, seu pœnitentiam agite. An non hîc Apostolus apertè discernit inter accusationem peccati, compunctionem, & μετάνοιαν? hanc ne opponit terroribus legis & commeritæ damnationi tanquàm antidotum efficacissimum?

38 Constanter igitur vt accusationem peccati tribuimus legi: ita prædicationem pœnitentiæ propriam esse Euangelij defendimus, & in hac assertione proprijssimè vtramq; vocem & μετανοίας & Euangelij accipimus.

39 Fateor quidem pœnitentiæ vocabulum durius esse: attamen quia eo vsa est Ecclesia tot seculis pro eo, quod græcè est μετάνοια, potius sensum vocis, quàm originem respicere oportet, ne quis etiam ad Iudæ μεταμέλειαν hanc vocem referat, quod planè Sycophanticum iudico.

Restat

Reſtat tertius vſus legis, quē ideo 40
ſpiritualem appello, quia pertinet ad
homines ſpiritu Dei renatos. His præ-
ſcribit certam viuendi regulam, iuxta
quam viuere contendant, vt Deo ex
fide ſpiritualem cultum præſtent.

Hîc maximam luctam experiuntur 41
fideles, dum ſpiritus in illis condelecta-
tur legi Dei, ſeq; ad eius normam com-
ponere ſtudet: & caro contrà peccati
ſtimulis agitatur contra ſpiritum, vt
non quod volunt, faciant renati: ſed
quod nolunt malũ, hoc agant. Sub hac
lucta ingemeſcentes Sancti cupiunt li-
berari de corpore mortis huius, vt tan-
dem liberè poſsint Deo præſtare obe-
dientiam iuxta legem.

Tametſi autẽ non poſſunt renati vel 42
exuere peccatum inhabitans, vel Deo
plenè iuxta legem obedire: tamen nulla
eſt iam eis metuenda cõdemnatio, quia
ſunt in Christo Ieſu, & nõ ambulant ſe-
cundum carnem, ſed ſecundũ ſpiritum.

Reliquis autem omnibus, qui non 43
ſunt

ſunt in Chriſto, & qui ambulant ſecundum carnem manet certa damnatio donec reſipiſcant.

44 Ex his facilè ſoluitur quæſtio de abrogatione legis decalogi, quæ nunquam abolebitur quoad doctrinam attinet: ſed tantũ quantum ad eius damnatoriam ſententiã pertinet, à qua ſoli ſunt liberi, qui ſunt in Chriſto Ieſu, & ambulant ſecundum ſpiritum.

Nam ſpiritus Dei teſtatur
eos filios Dei
eſſe.

* * *

Contra 29
[illegible]
[illegible]
[illegible] non possint
simul esse et [illegible]
catione Euangij

nt ſecun-
lamnatio

ræſtio de
quæ nun-
enam at-
ius dam-
à qua ſo-
riſto Ieſu,
iritum.
tur